

Franciscus Neumayr
‘Papinianus Iuris-Consultus’

Tragoedia
(1733)



Jan-Wilhelm Beck
Institut für Klassische Philologie
Lehrstuhl Lateinische Philologie
Universität Regensburg
Universitätsstraße 31
93040 Regensburg
November 2007

Argumentum

Perpetuis inter se discordiis dissidebant Imperatores Fratres Caracalla et Geta, et exarsit tandem ira in eam rabiem, ut Caracalla Getam occideret. caedi Fratris addidit caedem omnium eius amicorum, quorum numerus ad viginti millia ascendit. eminuit inter illos Papinianus Iuris-Consultus optimae notae et tunc Praefectus Palatii, una cum filio iam Quaestore securi percussus, quod noluerit scelus pro iure defendere. ut facilius intelligamus, notamus ex historia

- 1.mo quod Caracalla Severo ex prima coniuge natus sit, Geta ex secunda, quae Iulia vocabatur et a Caracalla sic perdite amata est, ut eam, post necem Getae, per abominandum incestum uxorem duxerit.
- 2.do quod Laetus, qui Caracallae occidendi Fratris auctor fuit, ab eodem postea mori veneno sit iussus. (Spartianus)

Personae

Papinianus <senior>	Praefectus praetorii	
Caracalla	Imperator	
Geta	Imperator	
Laetus	Praefectus cohortis Imperatoriae	
Papinianus iunior	Quaestor	
Maternianus	a Cubiculis Caracallae	
Helvius	Praetor	
Serenus	a Cubiculis Getae	
Macrinus	Dux Militum	
Lysander	Tribunus	
Ephebi		
Milites		
<Lictor>		
<Saturnus>	<Themis>	<Bellona>
<Iupiter>	<Venus>	<Ceres>
<Berecynthia>	<Cupido>	<Pomona>
<Neptunus>		<Pales>
<Pluto>		<Hortulani>
<Pallas>		<Pastores>
<Mercurius>		<Rustici>
<Fauni>		
<Tritones>	<Chorus Deorum>	
<Gigantes>	<Chorus Praedantium>	

Prologus

Saturnus, Iupiter, Berecynthia, Neptunus, Pluto,
Pallas, Mercurius, Fauni, Tritones, Gigantes

Iupiter, ut solus regnaret, Saturnum Patrem Coelo expellit. infame facinus ut pro iusto defendat Themis, per Mercurium agit.

Theatrum exhibit aulam Iovis in nubibus. Saturnus deiectus Coelo opem clamat; ex cryptis Fauni, ex mari Tritones, ex inferis Gigantes prodeunt.

- Sat. Quid? hoc ausit in Patrem filius?
Iup. Non bene in uno Coelo sol fulget geminus.
Iam solus regnabo, solus sum Dominus.
Sat. Filii! Pluto! Neptune!
Berecynthia, uxor dilectissima!
Bere. Ni fallor, meum Saturnum audio.
Sat. Nunc fidem tuam exigo.
Nept. Quis Neptunum <...>?
Pluto Quis Plutonem invocavit?
Sat. Pater opem imploravit.

Arietta

Arma, arma et bella parate!
Coelo pulsum Parentem iuvate!
Quid non timeant Fratres et Mater,
Si a Iove hoc sustinet Pater?
Ambitio, quantum es ausa!
Sum exul, hac una de causa,
In Coelo ut Iupiter solus sit Rex!
Libido regnandi est unica lex!

- Nept. Scelus immane!
Pluto *Ad Iovem*
Quid egisti, insane?
Bere. Vlciscamur iniurias!
Puniatur parricidae temeritas!

Arietta

Nihil time! fidem damus:
Vxor, nati pro te stamus;
Favet causae bonitas.
Stet tyrannus! paret bella!
Armet astra! pluat tela!
Nihil timet pietas.

Io! sonent classica!
 Ad arma, Dii Montium! Dii Vallium!
 Nept. Dii Maris et Fluminum!
 Pluto Dii Stygis et Manium! ad arma!
 Sat. Quod videbitur, facite.
 Ego aurea promitto vobis saecula,
 Si mihi per vos reddatur potestas perdita.
 Interea iuvat latere
 Et, quidquid de me fata statuerint, ratum habere!
 Nept. Macti animis, socii! quisque suum sequatur ductorem:
 Pro aquis tenebimus aethera.
 Pluto Pro inferis sydera.
 Bere. Pro antris et tesquis Coeli palatia!
Pro Saturno contra Iovem! haec belli sit tessera.
Dii se subducunt.

Chorus

Ch. Contra Iovem nos armamus!
 Pro Saturno nos pugnamus!
 Sta tyranne! para bella!
 Arma astra! plue tela!
 Nihil timet pietas,
 Favet causae bonitas.

Iup. Sic impero!
 Audisti rebelles? quid consulis, filia?
 Pall. Pater! si me audis, uteris clementia.
 Suadeo, ut ad Themidem mittas Mercurium,
 Qui Deam permoveat, causam ut tuam suscipiat.
 Illa subditis demonstret, quod Saturnus ab arce syderum
 Ex aequo pulsus sit in exilium.
 Magna est Themidis auctoritas;
 Illa si, quod agis, probare creditur, feliciter imperas.

Aria

Quem Regem Themis praedicat,
 Adorant subditi;
 Quem illa Regem improbat,
 Probatur nemini.
 Vocere Potens, Inclytus,
 Augustus, Fortis, Maximus
 Et, quidquid titulorum est:
 Non rapis animos.

Cognomen Iusti solum est,
Quod tenet subditos.

Iup. Probo consilium sapiens. age, Mercuri!
Quid desiderem, nuntia Themidi;
Tua facundia utere.

Merc. Quid, si renuat votis annuere?

Iup. Num audebit se Tonanti opponere?
Perge! sequar ipse et ibo suppetias,
Vt, si forte contemnat absentem,
Cogatur vereri praesentem.

Clauditur.

Merc. Mercuri! grave tibi incumbit negotium.
Suadendum est Themidi,
Vt faveat sceleri.
Si unquam, nunc certe callida
Vtendum est Rhetorica.

Aria

I. Oportet blande agere
Et se insinuare,
Prudenter rem narrare,
Multa dissimulare
Et, si quid vult opponere,
Ridendo confutare.

II. Non quadrat stylus humilis,
Figuris est utendum;
Conceptus sunt turbandi,
Affectus variandi,
Et aptis est metaphoris
Ingenium fallendum.

III. Arx vi non superabilis
Per dolum expugnetur!
Si arma repellantur,
Si machinae frangantur,
Agendum est cuniculis;
Hac arte evertetur.

Actus primus

Scena prima

Papinianus Pater et Filius

Pap. iun. Propinquus est Geta, Pater. festina certiorem facere Caracallam, ut Fratres in optatos amplexus ruant.

Pap. sen. Monui Maternianum. ingressus est. responsum a Principe expecto diu; nemo se movet. suspicor aliquid. secreta sint consilia, est necesse, ad quae Papinianus non admittitur. timeo novercae dolos. vocata est, ut esset sequestra pacis. quid, si novae discordiae accendat facem?

Pap. iun. Iulia intus agit?

Pap. sen. Venisse turbatam animo, narravit Maternianus, et vultu pallido, lividis oculis, voce fracta. ominosus occursus fuit. nihil est ad tollendas discordias utilius Fratribus, quam ut imperium dividant. suasi, assensi sunt; hoc scilicet affliget foeminam.

Pap. iun. Vt dividant imperium, hoc suasisti? haec conditio pacis erit?

Pap. sen. Haec: Orientis Geta, Occidentis Caracalla sit Dominus. ita Castor et Pollux erunt, semper pacifici.

Pap. iun. Et assensi sunt?

Pap. sen. Vnus desideratur assensus Matris. cum dixerit, fiat! signabunt tabulas. sed crede mihi, mulier tenebit manum.

Pap. iun. Non puto. saevam Caracallae indolem non nescit Iulia: quam saepe ille insidias Getae struxerit, certa est; cessare periculum, si dividatur imperium, intelligit. cur se opponat? aut quid est pace optandum magis?

Pap. sen. Non semper, quod est optandum, optatur etiam. sunt, qui bonum commune dissipant, ut servent suum.

Pap. iun. Inani metu funestas diem, qua laetiorem diu non vidit Roma. quid Iulia diviso imperio perdet? in sententiam et Republicae et filio suo Getae tam salubrem non potest non concedere: Mater est.

Pap. sen. Mater est, sed quae Caracallam privignum prae filio Geta diligit, nisi Getam oderit etiam. tu multa nescis.

Pap. iun. Atrox suspicio!

Pap. sen. Sed non concepta temere. Iulia mulier ambitiosa est; dum vixit Severus, assueta imperio. nunc cum viro illata est tumulo uxoris auctoritas: hoc male superbam habet. imperant filii, non ex Matris placitis, sed ex consiliis Procerum: hoc affligit. unam esse viam, qua ad imperium redeat, si nubere privigno possit, hoc videt. Getam, si vivat, haud passurum istud dedecus suo sanguini fieri, hoc intelligit, et putas amare?

- Pap. iun. Exhorreo. neque tamen, quid dicas, percepi satis. nubere Iulia Caracallae ne velit, hoc metuis?
- Pap. sen. Non timerem hanc Phaedram, si in Caracalla Hippolytus viveret. sed - o probrum! - amatur Caracalla et amat, adhuc, quod sciam, non impudenter quidem, minus tamen, quam agere decet cum novverca, reverenter. in tetrum erumpet incendium latens ignis; hinc festinabam fomenta subducere. aspectus mutuus, congressus, colloquia, sermones blandi amorem nutriunt; omnia tollit divisio. itaque divisionem suadere cum videor, ut tollantur discordiae, ego malis duobus mederi cupio. divisio et Fratrum tollet odia et hos amores nefandos. sed hoc scilicet metuit Iulia. vel enim cum Geta in Asiam itura esset, et periret coniugii incesti spes; vel in Europa cum privigno haesura, et periret spes mortis Getae per tempus pacis; nec vivo Geta tenere ipsa, quod ambit, potest. itaque, quin tota vi oppositura se Iulia meo consilio esset, nunquam dubius fui.
- Pap. iun. Haec si ita sunt et tu obsistis, Pater, non vides, Iulia quam timenda sit tibi? mulier potens, quid non audet, cum amat? semper amori foedo socius furor est. prospicio furorem imminentis procellae in nostrum caput.
- Pap. sen. Prospexi diu. nihil sapientibus casu accidit. certe nulla miseria opprimit non praeparatos. ego de his, quae aguntur, studiose tibi sermonem intuli, ut in futuros eventus armes animum, ne improvisa calamitas fortitudinem obruat.
- Pap. iun. Dedisti consilium bonum, cum divisionem suasisti. fecisti satis. si non acceptent Principes, sibi tribuant mala, quae post se iste contemptus trahet. tu extra culpam es. urgere cessa, obsecro, quod cum tanto tuo periculo urges.
- Pap. sen. Ignavo silentio Rempublicam perdam?
- Pap. iun. Inutili consilio familiam perdas? nam quae spes bona compensat periculum?
- Pap. sen. Periculum, si vel vitae sit, postponi debet etiam modicae spei de magno Reipublicae bono. moriendum aliquando est: quando possum glorioius mori? quanquam cur spes modica sit suffocandi amorem, qui nondum erupit inflammam? non est bonus Consiliarius, qui cito desperat. urgendum est consilium bonum, mutantur Principes; forte, quod hodie displicet, placebit cras, si sit, qui repeatat.
- Pap. iun. Saepius tamen videmus monitores eiusmodi molestos esse et excidere gratia, qua pollebant.
- Pap. sen. Hic timor in virum constantem non cadit. Principis gratiam desidero, quantum Reipublicae prodest. quae huic non prodest, quid mihi prodest, nisi ut iustis odiis in me ardeant omnes, quotquot Rempublicam amant? tune inter eos numerari me velis, qui sputa Principum pro melle lingunt? Papinianus sum: absit a me tam abiecta servitus! placere Domino, cui aequitas displicet, ego non ambio. de malis, quae ex amissio Principis favore metuunt alii, nihil

angor; sic in animum sapientis adversa incident sicut grando in tecta. grando in tegulis dissultat, crepitat, solvit; inquilinus intus in cubili quiescit securus sui. sed en, Maternianus.

Scena secunda

Papinianus uterque, Maternianus

- Mat. Papiniane, quod timebas, evenit: dividendi imperii consilium revertit Iulia. i, nuntia Getae.
- Pap. _{sen.} Materniane, consilio obstet Iulia; non ideo eversum est penitus! sustentat Geta: Getae assistamus communi opera, tota virtute. cedet mulier, si viri non cedimus. instemus Caracallae; tu adde suffragium tuum mihi, adde reliquorum Procerum: forte, qui unius consilium reiecit, omnium acceptabit. Princeps prudens non facile adversatur sententiae multorum prudentium. si, quod deterius est, eligit Caesar, nostra dissensio causa est et eorum imbecillitas, qui per sua consilia placere malunt quam prodesse.
- Mat. Caracallam nosti. irascetur, si quis abiectum consilium obtrudat rursus.
- Pap. _{sen.} Si sapit, irasci non potest. aut cur alit Consiliarios, si non licet consulere? ego prodesse Principibus nihil nisi consilio possum. si hoc prohibebo, cui bono in aula vivo? fungus sum. abdicare me officio malim. non decet Papinianum in aula vivere inutilem aulae.
- Mat. Obstat Iulia: quid movebimus?
- Pap. _{sen.} Vni simus. ut ingratum consilium sit, tamen, si uno ore ostendimus, quam sit necessarium ad pacem, utile ad tutelam, optabile ad gloriam, non ita brutus est Caracalla, ut non imperaturus sit sibi.
- Mat. Iam aliud imperavit. mihi, ut, quo sis erga se animo, explorem, praecepit, priusquam ipse loquatur tibi.
- Pap. _{sen.} Quo sim animo, dubitat, post tot experimenta?
- Mat. Hodie experiri maxime cupit. scit, apud Getam te posse omnia.
- Pap. _{sen.} Multa, fateor.
- Mat. Sperat igitur, nihil te omissurum operae, qua efficias, ut pax, in quam coituri sunt Fratres, stabiliatur perpetuo foedere et non solubili.
- Pap. _{sen.} Fieri non potest, nisi approbetur divisio.
- Mat. Alia conditio est. ut imperio se Geta sponte abdicet, desiderat Frater. hoc si fecerit, amicum habet ... videris commotus esse. quid est? suadere hoc Getae non audes?
- Pap. _{sen.} Cur Caracalla non facit, quod suasum vult Getae? ipse se abdicet: erit Pax.

- Mat. Licetne hoc responsum ad Caesarem ferre?
- Pap. *sen.* Ipse feram. sed Getae hoc non suadebo. moriens Severus utrumque Caesarem dixit, utrumque meae fidei commendavit.
- Mat. Vterque imperet! hoc studium pacis est?
- Pap. *sen.* Geta se abdicet! hoc studium pacis est? Materniane, nunc fervent dissidia, cum domo, mensa, aspectu divisi sunt Fratres; coniuncti concordes erunt? Fratres ex gemina Matre, contrariis ingenii, diversis moribus, affectionibus nunquam iisdem? cinctus militibus Geta a Fratris insidiis vix vivit securus; nudo nihil timendum erit? non verbum audacius, non gestus liberior, non delator rabula sufficiet, ut reus affectati rursum, quo se abdicasset, imperii fiat? ipsum Getam quam facile poenitentia subibit potestatis depositae? et, cum amabilis sit, quam facile, offensus a Fratre, in partes populum trahet? populus etiam Caracallae per sese addictus parum, quam facile Getam vel invitum reponet in solio et armabit in Fratrem? vides consilium nec Reipublicae nec Getae nec Caracallae proficuum fore. amat Geta Collegam Fratrem; Dominum ferre non vult, non debet, non prodest.
- Pap. *iun.* Mihi, Pater, hoc consilio novae discordiae occasio videtur quaeri. si opponat se Geta, pro hoste erit.
- Pap. *sen.* Quid Iulia? probat, ut solus privignus imperet, filius privatus vivat?
- Mat. Permittit concordiae causa.
- Pap. *sen.* Novum argumentum amoris incesti! ... amice, scis, quid ingemiscam ... sed age, utriusque Caesari iuravimus fidem, utriusque haereamus. urgeamus consilium, non quod iucundius est Caracallae, sed quod aequius et utriusque utile magis.
- Mat. At Geta ingreditur. nuntio Imperatori.

Scena tertia

Papinianus uterque, Geta, Laetus, Helvius, Serenus, Macrinus

- Pap. *sen.* Ah! Caesar! pauculos tecum amicos video: cur nudum adeo prostituis latus?
- Geta Spe pacis laetus, nolui me suspectum de diffidentia facere. fefellisti me, Laete? in aulam an in carcerem ducis?
- Laet. In Fratris cubile se contulit Mater; ipsa transigere cupit negotium pacis, ipsa invitatum te voluit. Matrem times?
- Geta Matri fido. quid igitur tu metuis.
- Pap. *sen.* Omnia. dividendo imperio opponit se Mater, Frater cessit, pax erit nulla.
- Geta Ergo ut me ad meos recipiam, suades?

- Pap. _{sen.} Si possis sine periculo, mallem, ut divisioni insistas, dum occasio favet. amabilis facundia filii forte in sententiam trahet Matrem. instabimus, ut in eandem et Frater redeat. quodsi pertinax resistat usque Iulia, vos imperatis. estis filii, honorate Matrem; sed etiam estis Patres Patriae, quae amanda piae Matre est.
- Geta Aliud dubito. si evicero, ut divisionem acceptet Mater, quis nostrum illam tenebit sibi? ego illam in Europa relinquam Fratri, de quo scitis, quam non immerito incestum amorem suspicer?
- Pap. _{sen.} In Asiam aufer Matrem, omne malum auferes.
- Geta Frater non sinet, ipsa non ibit.
- Pap. _{sen.} Nondum robustus, nondum impudens, adhuc timidus amor est, quo in privignum ardet Iulia. amorem amore vinces: filius loquere, Mater audit.
- Geta Vix tolerabile tormentum est amantibus dividi. timide spero.
- Pap. _{sen.} Morbi tam tetri unica medicina est sectio. persuadendi sunt aegri, ut admittant. constanter urge, Princeps! metus est minor spe. Matris te gremium habet, asylum tenes. cautelam tamen periculum suadet, ne cogi possis ad permittendum, quod te non decet.
- Laet. Ibo et militem ordinabo in quemvis eventum.
- Geta Amo te, Laete! aurum ex aerario porrige, Quaestor, quantum postulat. oculos militum facilius fascinabis quam aures.
- Pap. _{iun.} Quod imperas, factum puta.

Aperitur aula.

- Geta Ego ingredior, ut tentem, quid possim.
- Pap. _{sen.} Magno dedecori te, Fratrem, Matrem eripis, si fortiter agis. pugnandum est et maternis blanditiis et fraternae ferociae. timendus uterque hostis animo timido, generoso neuter.
- Geta Agam, quod me decet. vos mihi sedulo invigilate.

Scena quarta

Personae priores praeter Getam

- Pap. _{sen.} Strenue nos, amici, extremis malis extremum adhibeamus remedium. sicut divisi sunt animis Caesares, sic, ut dividant imperium, unanimis urgeamus nec feramus, ut Iulia Imperatoribus imperet. si cessamus, prodimus Getam, et cogetur se abdicare imperio; nam iam hoc ausus est Caracalla optare. silui apud Getam, ne exterritus absurdum petitione metueret consilio divisionis insistere.
- Helv. Hem! quo assurget ambitio? et occupatus adeo vehementi affectu Caracalla, credis, patienter nos audiet? non est iam capax consilii

boni; concedi aliquid suis desideriis, suis amoribus, suae impatiens
tiae volet.

Pap. ^{sen.} Et nos nempe hoc ex officio agimus, ut, quidquid ille volet, probemus? cedendum ad tempus furiosis affectibus est; sed non alenda haec monstra sunt in Reipublicae perniciem, quam ipsius Principis sequetur infamia et publicum odium. non istud decet Ministros bonos.

Seren. Consulere tamen, quod displicitum praevideo, audacia est plena periculo.

Pap. ^{sen.} Consulere tamen, quod placitum praevideo, consultoris est de quolibet trivio. viri fortis et prudentis est affectui male domito Principis sapienter occurtere, temperare calorem, affectu contrario imbuere animum, ut nihil decernat, nisi quod ratio probat aut virtus commendat et pietas. nos timidi sumus et credimus, Caracallam impatientem esse omnis consilii boni. utut saeva sit indole, non furit semper. est modus, est hora in consulendo servanda: audiemur, etiam cum dicemus ingrata, modo dum suademus pacem, ipsi concordes simus.

Macr. Iungamus nobis, quos ipse amat. si Gaius, si Piso, si Lentulus accesserint nobis, sperabo conatum felicem fore.

Laet. Viri prudentes sunt. tentantur secure.

Helv. Tua apud illos valebit auctoritas.

Pap. ^{sen.} Tentemus. concordibus armis impetita discordia Fratrum herbam Reipublicae porriget.

Macr. Spes bonas fortunent Dii!

Laet. Ite faustis avibus. filium, Papiniane, mihi cedes, ut pecunias numeret, quibus militem emam.

Pap. ^{sen.} Ex officio Quaestoris aget. Laete, si efficias, ut divisionem imperii exercitus probet, victores sumus. vide, quid possis.

Laet. Nihil omittam.

Pap. ^{iun.} Quanta summa est opus?

Laet. Decem millia coronati cum spe plurium sufficient hodie. eamus.

Pap. ^{iun.} Venio.

Saltus in aula.

Actus secundus

Scena prima

Caracalla, Maternianus, Laetus

- Car. Credo tibi. neque enim ausus fuisset Geta sic se mihi opponere et Matri simul, nisi fideret adhaerentibus sibi ... Materniane, apud Gaium conventus est: accede et, ne quis audeat Getae consilia pertinaciter tueri, serio admone. decretum est: solus regnabo. hic erit discordiae finis. deinde excubias gemina; intrare nemini, nemini exire liceat, donec perfectum negotium sit et se abdicaverit Frater. in potestate est: cogi potest.
- Mat. Imperium exequor.
- Laet. Quam belle se et Getam Papinianus decepit, cum credidit, in divisionem imperii te serio consentire, serio de pace agere. non alia nisi hac fraude allici Geta potuit, ut se traderet tibi, imo ab ipso Papiniano traderetur.
- Car. Ah, Laete! quam male me habeo! tumultuantes in se affectus discepunt animum. crucior!
- Laet. Quid affligere potest? Matrem, Fratrem, Papinianum tenes; occasio favet: quid ...
- Car. Mater, Frater, Papinianus terrent, ne utar, et Senatus, populus, miles praeterea.
- Laet. Quid est timendum?
- Car. Omnia.
- Laet. Nihil.
- Car. Parricida, tyrannus dicar. probrum feram?
- Laet. Hodie hoc cogitas primum, quod toties contempsisti?
- Car. Horror vicini sceleris gravius afficit.
- Laet. Leonem intentum propinquae praedae obstrepentium anserum garritus non terret. loquantur homines, quod volunt, modo non audias. quanquam quid tandem loquentur? dic, insidias tibi a Fratre factas esse, occupatum perfidum meritas poenas dedisse: quis audebit negare quidpiam? facile est subditis verba dare, quibus factum defendas; nemo Caesarem in quaestionem vocabit. populus, quod cupis, crederet; interest, quis rumor se prius diffundat. militum venalis est anima: devinciri tibi pecunia possunt, quod, ut ante dixi, perfidium mihi negotium sumo. ex Senatoribus si qui improbent factum, rei Maiestatis habentor. sic te liberum facies. quin et brevior via est ad vitam tranquillam. Papinianus ab amore iustitiae ingens apud Senatum, populum et exercitum auctoritas est. tu caedem perage: Papinianus iuste peractam esse cogatur defendere; Senatus, populus, exercitus totus quiescat.

- Car. A Papiniano impetrare hoc sperem?
- Laet. Imperare potes.
- Car. Vt probet Papinianus caedem innocentis? non obediet.
- Laet. Innocentis? adeone innocens tibi videtur Geta? iamne oblitus es, quod dixi, quod pecunias a Quaestore imperaverit mihi, ut ei milites conciliem? quod imperaverit te ignaro, velut iam solus regnaret? quod obediverit Quaestor et obedire Papinianus non modo sit passus, sed laudaverit etiam? vere, Princeps, ego non credo, secundum te vitae esse, dum vivit Geta. milites, populus, Senatus vestrorum dissidiorum impatiens est; Geta pae te amatur, optatur Pax, medium facile est mors Caracallae. vide, quid immineat! nihil consulo mihi, tuum agitur bonum, felicitas, vita.
- Car. Sed Iulia obstat. aversabitur parricidam nec iam oculo dignatura.
- Laet. Iulia? nihil metue. amat te.
- Car. Amat, nunquam alias magis quam hodie sum expertus. creditit serio agi de dividendo imperio: accurrit gemiscens, amplexu strinxit; oravit cum lacrymis, ut dividi se potius quam imperium paterer, ne viva separetur a me. parum abfuit, Laete, ut pro filio me sponsum vocaret. tremuit pectus ictu valido, et cum tacito gemitu dixi mecum: ‘utinam Mater non esses!’ deinde voce clariore et blandum arridens ‘cessa lacrymas’, inquam, ‘non dividemur, Mater. amo te.’ vidisses illico siccari lacrymas ad hanc vocem et labia in risum duci. amor, Laete, amor: sensi. sed si Getam occido, quid? adhuc amabor?
- Laet. Nescio an non etiam magis. absconditum nunc ignem alit dubia, ne fumus offendat Getam; clam simile tuo non nunquam audivi suspirium: ‘utinam, Caracalla, sponsus esse pro filio posses!’
- Car. Quid obstat vero, ut esse possim?
- Laet. Si velis, nihil, nisi quod utique Geta opponeret se, si vivat.
- Car. Vtinam moriatur!
- Laet. Nimis lentae sunt Parcae. frigescet amor, si expectas, dum ipsae abscindant filum. tu abrumpe.
- Car. Ius, aequitas, Dii prohibent!
- Laet. Ita, si interrogas, Papinianus docebit.
- Car. Certe.
- Laet. Gravis auctor! ... at alii licere affirmant Regibus, quod libet. cur non istis credas potius, et aequo sapientibus et numero pluribus et magis reverentibus tui? Iupiter in Coelo regnat, tu in terris es Deus: hostis est, qui non adorat nutum.
- Car. Iovem me crederem, si non viderem parem. haec me ambitio tortuet. infelix sum.
- Laet. Infelix! quis prohibet, si imperare vis solus?
- Car. Omnes pro tyranno horrebunt. saltem si tegi aliqua honesti specie posset facinus!
- Laet. Non tegi modo, sed esse honestum potest. iurgari incipe, venietis ad manus, Geta cadet; tu non modo facti veniam, sed et Victoriae

gloriam feres. nimis haec anxie et ad scrupulum ponderas. vis pro iure semper magnis Caesaribus fuit: in ipso Romulo, qui huius imperii Fundator fuit, exemplum habes. sciebat leges subditis scriptas esse, non Principibus. quid ab ore unius Iuris-Consulti pendes? num solus sapit? plures iube suffragium ferre, plurium vocem audi; Papinianum tacere iube, si non vult loqui, quod tibi placet. nam quis Imperator est?

- Car. Ipse indignor mihi, quod rumpere non ausim vincula, quibus ligor. quoties mortuus iam esset Geta, si opportune potuisset occidi! nunc, cum captus est, trepido.
- Laet. Dedi consilium. iurgandi occasionem si captas, in rixam incalescet audacia, sequetur optata caedes. favet hora, ut exutias onus, quo te Geta premit et pressum videre Papinianus perpetuo cupit. unius necesse solus potieris imperio, quod ambis; potieris Iulia, quam deperis: et deliberas, num velis felicem te reddere?
- Car. Deliberatum est. morieris, Frater! Laete, places. potest latere scelus sub iuris specie.
- Laet. Sed en, ipse Geta.

Scena secunda

Caracalla, Geta

- Car. Solum cum solo sine. quid turbaris, Frater? num monstrum ego videor funestum tibi.
- Geta Fatebor, quod res est. inventurum me in hoc loco Papinianum putabam, non Caracallam.
- Car. Scio nec sine fastidio scio, quantum ab illo Magistro pendas.
- Geta Magistrum non veneror, Ministrum amo fidelem ac providum. amare moriens Pater iussit; nec tibi ipsi, quod sciam, alias Procerum huc usque amatus est magis. an non meretur?
- Car. Merebatur, quamdiu aequali cura mihi serviebat et tibi. nunc in te pronior, nescio, num non in meam perniciem coniuraverit tecum.
- Geta Frater! atrocem animo suspicionem alis aut fingis alere. ex quo sum meritus?
- Car. Quid dissimulas te? si nullius tibi fraudis es conscientius, Frater, ecce, illuxit dies, quam Dii faustam Reipublicae per tuam virtutem cupiunt. Severus Pater, ut acciperet coronam, cogi debuit. magna gloria! maior est tua, si sponte ponas et vivere privatus malis quam Imperator. factum sera posteritas laude perpetua colet.
- Geta Intelligo, in quos me casses imprudens coniecerim. Matri fidebam miser, Mater me prodidit. vidi oculos rubentes fletu, audivi vocem

supplicis, depressa superbia; sensi, quam nihil sollicita mulier sit aut pro Geta aut pro Republica, hoc unum metuens, ne a privigno divisa viveret. tantus iam invaluit amor; nescio, num honestus saltem. heu! deceptus sum! sed hoc scito, Frater: ad dividendum imperium veni, non ad abdicandum; aequali iure impero tecum. tu si abdicare te velis, cedo virtutis laudem; imperium non cedo.

- Car. Imo cedes, velis nolis.
- Geta Ah! loquamur, ut Fratres decet. Europam relinqu tibi, mihi exilium eligo, in Asia trans mare inter Barbaros acturus vitam. num parum facio?
- Car. Aliquid.
- Geta Plus nec poscat Iulia, nec probet Severus Pater.
- Car. Severus est mortuus, nulla illi de viventibus cura. Iulia quid poscat, audisti ipse. si reverentia Matris est, cur non obedis? obiicis amores, invide, et pro scelere audax computas; ita te livor dementat. coleres Matrem, ut ego colo, amaret amore pari. sed teneo te. vide, num lubens velis, quod velim.
- Geta Quo proruis? sic te decet loqui cum pari?
- Car. Ego impero.
- Geta Num sine Geta?
- Car. Solus.
- Geta Quo iure?
- Car. Volo. intellexi vafritiem ambitionis tuae, cui humeros Papinianus supposuit. ut dividatur imperium, cupis, quo rapere totum possis. hoc animo facinus sedet. potitus Asia, totam barbariem in Europam effundes, ut exsatures odia, quibus impetus immeritum Fratrem. abducere Matrem statueras tecum, ne mihi obses remaneat datae fidei, quam essem violaturus impune. exercitum adeo abstrahere in partes iam nunc moliris, perfide, ut nudus parricidio prostem. nam quid sibi vult auri moles illa, quam paulo ante, ignaro me, ex aerario raptam iussisti militibus dividi? quid conventus ille, qui hac ipsa hora apud Gaium habetur? Papinianus huc se contulit, ut Proceres, amicos mihi, conciliet tibi. texuntur funes, parantur laquei, nec iam imperium nec vita adeo in tuto est.
- Geta Multa concessisti, Frater, quibus insontem obrueres. ad singula respondebo.
- Car. Vno solo responso est opus. affectatae tyrannidis reus es mihi, nisi imperio sponte te abdicas. hoc si facis, insontem te credam; hoc unum innocentiae argumentum accepto. si abnus, videbis, quid possim. ipse Papinianum huc adducam, ut habeas, quocum deliberes. haec optio est, ut aut imperio cedas aut vita.

Scena tertia

Geta *solus*

Geta Num Frater est, qui loquitur? ... hem! quo adductus sum? ... quo verto me? ... pro! quis me stupor tenuit, ut me inermem et solum blandienti latroni crederem! ... infelix Mater! tu me decepisti! pacem quaerebam et necem invenio, necem cum parricidae opprobrio, quod toties Frater meruit, nunquam a me offensus! ... stolide Geta! ... ut mentem adeo turbastis, Dii, quo tempori viderem periculum? ... ah! Papiniane, nunquam te audisse poenituit; hodie poenitet ... saltem si esset fugae locus! ... vana spes! ... captivus sum. amici! amici! ... vah, solitudo! ... desertus a meis saltem me ipse non desero. decretum est, vita potius quam imperio cedere. falleris, tyranne, si frangi minis posse hoc pectus credis. ut nudus praesidio meorum sim, adhuc ferrum ad latus pendet. peribit, quisquis primus intulerit manum. te testor, Severe Pater: inultus non ibo ad inferos.

Scena quarta

Geta, Papinianus <senior>

Pap. sen. Quid nudus chalybs, Auguste, micat? cede tempor! sapientis est, fortiter ferre malum, quod vitari non potest.
 Geta Quid audio? tune etiam a Fratre stabis? me miserum!
 Pap. sen. Imo nunc maxime tuus sum.
 Geta Vt imperio me abdicem, tu suades?
 Pap. sen. Furenti cedendum est.
 Geta Sic te mutari posse?
 Pap. sen. Mutare animum vir prudens debet, cum primum consilium evertunt Dii et aliud necessitas imperat. ad Gaium convenimus amici tui, hoc animo, ut addictos Caracallae traheremus in divisionis sententiam. momentum abiit, cum in cubile irruit furens Caesar et velut attonitus ‘quis furor est’, inquit, ‘video coniurari in nostrum caput!’ mox loco se movere caeteros vetat et ad me versus ‘Papiniane’, dixit, ‘graviter suspecti estis. tu effice, ut sine mora imperio se abdicet Geta, aut peribitis cum Geta omnes.’ haec prolocutus vertit tergum et nullo expectato responso se proripuit e conspectu. sensimus in mora periculum esse. cucurri rogatum te, ut cedere furenti

- velis et saltem simulare animum non omnino alienum a postulato,
si spatum deliberandi Frater concederet. nihil certius irae impetum
quam mora frangit.
- Geta Mora non datur, actum est. incautus opprimar? inultus cadam? hoc
absit.
- Pap. *sen.* Saltem ad Matrem fuge, dum primus detumuit furor.
- Geta Imo hic expectabo tyrannum reducem. ferro, si vir est, decidemus
litem, quam iure non vult.
- Pap. *sen.* Polluetis Regiam fraterno sanguine? et tune parem te Fratri credis?
quo te abripit inconsulta temeritas?

Scena quinta

Geta, Papinianus <senior>, Caracalla, Tribunus, Milites

- Car. Adsum. ferro decidamus litem! congredere!
- Pap. *sen.* Heu! fuge, Princeps!
- Geta Tuere Getam, miles!
- Pap. *sen.* Fuge, obsecro!
- Car. Loco cede!
- Pap. *sen.* Non nisi per istud pectus transfodies Fratrem.
- Trib. Accurre, miles!
- Car. Nihil vobis est opus mihi.
- Pap. *sen.* Per Severum obtestor, utriusque communem Patrem!
- Car. Provocatus sum. obsistere cessa! aut <...>!
- Pap. *sen.* Victima pro Geta cadam!
- Car. Tenete hominem!
- Pap. *sen.* Absistite!
- Trib. Persequere, miles.

Scena sexta

Caracalla, Laetus, Maternianus, Tribunus, Milites

- Laet. Quem persecuitur Caesar, Tribune?
- Trib. Fratrem puto.
- Laet. Hem! cadet Geta. hoc erat, quod diu praevideram; sic finientur dis-
cordiae. tumultum faciet populus. nostrum est, tenere iam fidem et

Caracallam transferre ad castra, priusquam de caede rumor in urbem fusus plebeiam rabiem in Caesarem concitet. securitas Caracallae praestanda, ne dies una utrumque rapiat.

- Trib. Expecto imperium.
 Mat. Heu! periit Geta, Laete!
 Trib. Miseret me boni Principis!
 Laet. Miseret! sed abstinete lamentis, obsecro. pro hoste erit Caracallae, si quis defleat mortem Getae.
 Mat. Tamen horridum factum est. assecutus fugientem percussit in ipso limine, cum ad Iuliam se recepturus clamaret: ‘iuva, Mater! occidor! adiuva!’ has inter voces confossus corruit et in ipsum accurritis Matris gremium animam effudit cum sanguine. ego clamore consternatus ut adproperavi, vidi Caracallam iurgantem cum Iulia et lugere prohibentem de morte filii plures iam mortes meriti.
 Car. Iacet hostis! amici, plaudite!
 Laet. Triumpha, Caesar! iam erit pax!
 Car. Cadendum alterutri fuit. provocatus vici! Diis grates!
 Omn. Diis grates! vive, Caesar, et impera felix!
 Laet. Sed tutus, Princeps, in aula non es; non omnes oderunt Getam. in castra te confer, ut inde in urbem rediens militari praesidio formidabilis secure triumphum agas de Fratre perfido.
 Car. Recte mones. amicos habuit Geta et socios sceleris, quod meditatus est. instituenda est quaestio. Senatores de imperio monebis, Laete; Iudex erit Papinianus: experiar fidem viri. tu solare Iuliam, celeriter ipse sequar. ducite me.
 Trib. Vive, Caesar, et impera felix!

Clauditur.

Chorus I.

Mercurius, Themis, Iupiter, Venus, Cupido, Chorus Deorum

Themis recusat Iovis postulata probare. Iupiter eius templum incendit et ipsam honore privat, quo inter homines colebatur.

Theatrum est sylva. interius templum Themidis primo clausum, tum apertum.

- Merc. Ah! Dea, tibi consule!
Iupiter impune non spernitur,
Poenitebit pertinaciae.

Aria

Cede Iovi, cede, Dea:
Bonum est, quod suadeo.
Non tractatur causa mea:
Tibi, Dea, servio.
Iovis preces sunt armatae,
Cum vult, potest cogere;
Orat, sed cum Maiestate,
Quam non licet spernere.

- Them. Verba perdis nihil proficua.
Quod dixi, dixi:
Non possum excusare, quod accusat iustitia.
Descendit Iupiter cum Diis superis per nubes dispersis.

- Merc. Audisti tonitru<m>!
En, ipse descendit, nec iam in habitu supplicis,
Sed cum Maiestate Iudicis.

- Venus Themis, rea diceris multorum criminum,
Citaris ad iudicium!

- Ch. Ad iudicium! ad iudicium!
Them. Cuius sceleris rea sum?

Prodit Cupido ex sede Iovis, quae primum clausa, nunc se aperit.

- Cup. Laesae Maiestatis Deorum prope omnium.
Iupiter optime, maxime,
Tuum est tibi et nobis consulere.

Aria

- I. Hoc, hoc est scelus Themidis,
Quod vulgi nos ludibriis
Exponat et dicteriis
Proscindi patiatur!

Quid tandem erunt Numinia,
 Quam nuda, foeda nomina,
 Si non haec impudentia
 Mulieris plectatur? ...
 Plectatur! ...

II. Mars Latro est mortalibus,
 Fur dicitur Mercurius:
 Quis ferat hoc? nequissimus
 Sim ego puerorum;
 Stultorum Bacchum Principem
 Et Moecham vocant Venerem;
 Tu, Pater, tu - quid memorem? -
 Es Dux adulterorum.

Dividuntur nubes, et Iupiter se ostendit.

- Them. Intelligo: facitis causam communem.
 O nobilem artem!
 Iup. Audiamus et alteram partem.
 Them. Erratis, o Dii, erratis!
 Risui per me non prostatis;
 Ipsi vos prostituistis,
 Cum scelera tam infamia commisistis.

Arietta

In homine damnatis
 Et ultima suppicia
 Decernitis in crimina,
 Quae ipsi perpetratis:
 O sancta Numinia!
 Si possunt excusari,
 Cur plectitis in aliis?
 Si non, cur ipsi facitis?
 Quis vetet imitari,
 Quod fit a Superis?

- Cup. Audis, Pater, vides insultantem: et parcis?
 Iup. Parco et parcam Themidi,
 Si probet, quod probant Dii caeteri.

Duetto

- Iup. Exemplis te sine doceri,
 Tonantem te decet vereri.
 Them. Sum Themis: non possum moveri,
 Vt scelera velim tueri.
 Iup. Non colis nostra Numinia?

Them. Non colo vestra vitia.
 Iup. Jupiter sum!
 Them. Themis sum ...
 Iup. Ergo coite, atra nubila! ruite, fulmina!
 Cup. Arbor, quae flecti non potest, frangatur.
 Merc. Subsidat in cineres templum impiae Deae! incendatur!
 Nulla posthac Themis colatur.
 Iup. Incendatur!

Dii disparent lente. fit tempestas, fulmen, incendium templi.

Chorus Deorum

Terra treme!
 Coelum freme!
 Fulmina ruite!
 Themidem sternite!
 Firma, o Pater, sententia stet!
 Poenas audaciae impia det!

Them. Bene est! in cineres subsidant altaria,
 Illustrior micat Gloria.
 Themidem pati pro Themide,
 Fatum est optabile.
 Libens exulo: vale Thessalia! ...
 Sed vos, improvida Numina,
 Intelligitis ex mea absentia,
 Quantum vestro imperio sit Themis necessaria.
 Senties, Jupiter, quis tibi debeat esse potior,
 Syncerus admonitor an putidus adulator!

Aria

Qui laudat, quod laudandum,
 Qui damnat, quod damnandum,
 Qui scapham scapham nominat,
 Hic causam tuam protegat:
 Hic amat te.
 Qui, quidquid probas, probat
 Et, quidquid damnas, damnat,
 Sacravit linguam tibi,
 Cor autem servat sibi:
 Non amat te,
 Sed quaerit se.

Actus tertius

Scena prima

Caracalla, Maternianus, Milites

Aperitur aula. adest Imperator cinctus milite, qui in stationes dividitur.

- Car. Eat in ordines miles, et in sua quisque statione pervigilet. accede, Materniane; narra, quid agit Iulia?
- Mat. Luxit, sed ad imperium tersit lacrymas. filii conspersam sanguine flevisse decuit, si tegere voluit gaudium, quod attulit spes ex morte Getae concepta. loqui cupit.
- Car. Venio. tu interim quaestioni assiste, quam de amicis Getae Papini-anu praecepi. attende, num sedulo omnia, num recte fiant.
- Mat. Auguste, quid crabrones moves? irritas multos et in te concitas. ce-ciderunt cum Geta animi affecti Getae: nemo movebit se, nisi mo-tus. supersedere nos quaestione crudeli iube.
- Car. Quid ita? tune etiam Getam tueris?
- Mat. Non defendo. sed iam solus imperas, tua est Iulia; quid petis am-plius?
- Car. Imperium, vitam Geta perdidit; famam non perdidit. creditur inno-cens occisus esse, hoc mihi nocet.
- Mat. Si cadant amici Getae, quid istud proderit? non oberit etiam? nunc praecipue, cum formam imperii novam capis?
- Car. Imo nunc nihil est mihi necessarium magis. sic purgabor. merito caesus Geta videbitur, si publico iudicio damnentur amici Getae.
- Mat. Si esse Iudex Papinianus recusat?
- Car. Se ipsum damnat. quid disputas? ita fieri volo, impero. non quie-scis? obediendum est. me Iulia vocat.

Scena secunda

Maternianus, Papinianus <senior>

- Mat. Incipit effraenis currere, curret in omne nefas. nec iam Papinianum audiet, quem pro oraculo coluit. ipse intrat. ah!
- Pap. sen. Quid ingemiscis, Materniane? intelligis, credo, quam suaserim bene, ut concordibus studiis et communi opera urgeamus divisi-onem imperii. en fructum imbellis timoris; scelus infandum, quale

iam quartum exhorret Roma! in qua barbarie vivimus? haec vestra peccata sunt, canes muti, quibus lingere ulcera voluptas est, nulla cura sanare.

- Mat. Parcius ista. factum infectum non facies, Papiniane! quid te fatigas? quae futura sunt, ne fiant, obstare potes. sic laboras utiliter.
- Pap. _{sen.} Quid laboro utiliter, si solus laboro? iuvate me! aut saltem, quod aedifico, non destruite; laetus sum. in quae tempora servasti me, Dii! iam defendere etiam scelus pro iure iubeor, de amicis Getae quaestionem facere, habere pro reis, damnare omnes, quotquot mortuum lugent! o sancta iura!
- Mat. Fratris necem agitasse animo Geta dicitur; inferre primum est, communicasse cum aliis.
- Pap. _{sen.} Dicitur! si dici sufficit, quis erit innocens? sed quid momentum perdo? ibo ad Caesarem et, quod nemo loquitur, ego loquar, si vel capite luam. intelliget, si sapit, unum saltem ex Ministris se habere, qui officium faciat.
- Mat. Non invenies modo; nam apud Iuliam est.
- Pap. _{sen.} Hoc est: proxime laudabitis incestum etiam!
- Mat. Timeo, ne cogamur.
- Pap. _{sen.} Vir fortis mori potest; ut scelus laudet, cogi non potest.
- Mat. Quid igitur? non habebis quaestionem de amicis Getae?
- Pap. _{sen.} Habebo, si iubet. sed in gratiam Caesaris nullum damnabo. quodsi, ut video, aequitas postulabit, ut innocentes pronuntiem, ipse videbit, quid ex hoc iudicio pro se possit sperare. docere Principem ante cupio, quod causam Getae iudicare aliud nihil sit quam damnare Caracallam.
- Mat. Vis, ut te adesse moneam?
- Pap. _{sen.} Mone.

Scena tertia

Papinianus uterque

- Pap. _{iun.} Heu! Pater! quod triste spectaculum vidi! cadaver Getae amici currant et lavant lacrymis palmari vulnere hians pectus. pro! ut me iste aspectus conterruit ingressum aulam et nova laetiora audire certum. ergo helluatus est demum furor in Fratris sanguine, quem sitivit tamdiu?
- Pap. _{sen.} Geta occubuit; cessa gemitus, qui nihil prosunt. in futuros te casus arma. pecunias ex aerario datas militi in Getae gratiam aut scit aut sciens Caesar. quomodo te defendes, miser?
- Pap. _{iun.} Iubente Geta dedi, exigente periculo, optima mente, pro Geta qui-

- dem, sed non contra Caracallam.
- Pap. _{sen.} Dedisti. si quaeritur titulus, ut pro scelesto possis damnari, iste sufficit. tu gaude, si sine scelere non possis. damnari malum non est; merito damnari, est malum, quod oportet horrere.

Scena quarta

Papinianus uterque, Macrinus, Helvius, Serenus, Maternianus

- Macr. Papiniane, nondum detumuit tyranni furor, etiam in mortuum saevit. quid audimus? tu Patronus Caracallae, tu Iudex amicorum Getae esse iuberis?
- Pap. _{sen.} Suscipio vestram et Getae causam: forti animo este! aut vincam aut moriar.
- Helv. Captivi sumus. exire aula prohibet circum undique fusus miles. amasse Getam si crimen est, absolvisti iudicium, Papiniane: habes fatentes reos, sententiam profer.
- Seren. Quanquam contra te ipsum proferes; nam et tu amasti Getam. sed fac, ut sciamus, quid immineat mali.
- Mat. Audire te Caesar cupid. intrare licet.
- Pap. _{sen.} Benevolum auditorem habebo?
- Mat. Tranquillus est. Iulia pacavit animum prompto obsequio, filii caudem probans. idem a te, idem a vobis expetit in novi homagii vicem.
- Pap. _{sen.} A me non impetrat. exemplum foeminae nihil moveat viros. vel ex hoc capite improbandum est facinus, quia Iulia probat. ibo, ibo et loquar Caesari, quae loqui me decet et ipsum audire iuvat.

Scena quinta

Papinianus iunior, Macrinus, Helvius, Serenus, Laetus

- Seren. Trepidus expectatione eventus futuri.
- Helv. Quid tu affers, Laete? vultus fiduciam prodit.
- Laet. Licetne loqui audacter?
- Macr. Amicos vides, cum quibus in eadem es navi iamiam passura naufragium, nisi consilio quodam possis detorquere a scopulis.
- Laet. Gubernabo, si panditis vela et remos intenditis. heu, quantorum

- sanguinem hic dies fundet, nisi celeriter occurrimus malo!
- Pap. iun. Quid suspendis trepidantes animos?
- Laet. Non credit Caracalla, me a partibus Getae stare. itaque confidens mihi Senatum convocare me iussit, priusquam abiret in castra. inde redux, ingressus curiam cum omni milite, primum truci vultu et minacibus oculis attonuit Patres; tum ‘occidi Fratrem’, dixit, ‘atrox videri facinus potest, illis scilicet, qui ignorant, quam non fraterno Geta erga me animo fuerit. saepe insidiis, saepe beneficiis impetit vitam; postremo provocavit ad pugnam: comparui! vici! iam regno solus. vos Diis gratias agite, quod alterum vobis Principem servaverint; quem si amatis, contra amicos Getae defendite. sunt, qui ulcisci perfidum volent. quaestio habeatur: quotquot mortuum deflent, rei sint.’
- Omn. Atrox sententia!
- Seren. Et quid Patres?
- Laet. Quid facerent circumfusi armatis? et credere, quae dicebantur, et, quod iubebantur, probare se, uno annutu monstrabant.
- Helv. Ipse adeo Papinianus?
- Laet. Vae parenti tuo! advertit Caracalla ipsum in Senatu deesse, quem praeceteris cupiebat videre. ad me conversus, ‘eccur’, aiebat, ‘Papinianus non adest?’ adduxi humeros. ille commorsis labris frendens ingressus est Regiam. ire in stationes iussus miles expectat in horas imperium, Papiniano, vobis, mihi fatale, nisi cavingamus. nec enim latere possumus, Papiniane, quod Getae nomine pecunias tu mihi dederis, ego acceperim.
- Pap. iun. Hoc idem monuit Pater. sed quid agamus?
- Laet. Loqui secure licet?
- Helv. Quid ambigis? uno animo sumus.
- Laet. Praecipitur in foveam Caracalla, quam nobis fodit ... quid stupetis? an, num fieri deceat, dubitatis an, num possit?
- Seren. Deiici solio quin mereatur, quis dubitet? tyrannus est.
- Macr. Et tyrrnidem, nisi obsistimus, exercebit in nos.
- Pap. iun. Exercebit in Patrem meum. Laete, si facinus meditaris, quod laudet Roma, socius sum.
- Laet. Iuvat ulcisci Getam et nobis cavere. modus in promptu est. addicitis fidem?
- Omn. Et manus.
- Laet. Bene est. in stationes, ut dixi, dispositus miles est, et ipse amans Getae ac miseram vicem dolens. vindicabit, si habeat ducem. vestra nomina si conceditis insusurrare auribus, milites vestri sunt omnes; periit Caracalla.
- Pap. iun. Amor et timor assensum suadent. amici! exequamur consilium!
- Helv. Factum populus, exercitus, Senatus laudabit: accedo sententiae.
- Macr. Idem est animus.
- Seren. Et mihi.
- Laet. Iurate. quod igitur Dii bene vertant et piis Manibus optimi Getae

- iucundum accidat, Caracallam inferiis dabimus. peribit!
- Omn. Peribit!
- Laet. Et si quis nostrum - quod averruncent Superi! - communem causam proditor deserat, eum fulminator Jupiter trisulcis ignibus perimat!
- Omn. Perimat!
- Laet. Iam dum calet, cudamus ferrum! propero adducere militem vobis. hic subsistite. irruemus in cubile deinceps, oppressuri securum, ut cadat, ubi cecidit Geta, quoque similiter sanguine contaminet Iuliam.
- Helv. Si renuat accedere miles?
- Laet. Inanis est metus. ostentabo pecunias, quas dedisti. servient in bonum mortui, quas vivo maluissem impendere.

Scena sexta

Personae priores excepto Laeto

- Pap. iun. Age celeriter. amici, magno malo liberam hodie Rempublicam facimus, Caracalla sublato. cumulemus beneficium et Principi pessimo optimum substituamus. cui fertis suffragium?
- Helv. Ego in Principe prudentiam exigo. nihil agat ex impetu, nihil sine consilio; ita populi felices erunt.
- Macr. Ego fortitudinem magis requiro. qui aut timores horret aut timet pericula, consultando se et subditos perdit, quia nihil exequitur.
- Seren. Ego temperantem praecipue cupio. ad rationem vivat, qui regnat, non ad libidinem. quod est miserius regnum quam, cui praeest is, qui subditis imperat omnia, sibi nihil?
- Pap. iun. Ego iustitiam maxime laudo. prudentem Principem venerantur subiecti, forti confidunt, temperantem mirantur. sed iustum adorant, timent et amant. quanquam si Imperatorem quaeritis, in quo sint omnia, parentem eligit. quod si suspectum est suffragium filii, ipsi decernite, quis est Papiniano prudentior, quis fortior, quis temperantior, quis iustus magis?
- Helv. Nihil irascor voto, dignissimum nominasti. et si Plato felicissimum regnum pronuntiat, cui praeest Philosophus, quam beata erit Roma, si Papinianum praeficiat!
- Macr. Nec mihi occurrit dignior. testimonium virtutis amor praebet, quem sibi ab infimis aequa ac summis Papinianus promeruit.
- Seren. Quantis acclamationibus proclamationem excipiet populus! probo sensus vestros. habe Patrem Caesarem. tollatur in clypeos. vivat, imperet Papinianus! pereat Caracalla!
- Omn. Imperet Papinianus! pereat Caracalla! consilia secudent Dii.

Scena septima.

Accedunt Caracalla, Papinianus senior, Tribunus, Milites, Maternianus

- Car. Modestius, rebelles, modestius, ne Imperator vos audiat! ... invade perfidos, miles!
- Omn. Vah infortunium!
- Pap. sen. Vah! improvidos! hem! quo vos abripuit insanus timor? et tu, fili mi!
- Car. Vive, impera, Papiniane! pereat Caracalla! i, tuere, defende clientes tuos.
- Pap. sen. Ah! ut infelix sum Pater!
- Car. Scelestum voca. nam ut ausus sit filius cogitare immane facinus, ignaro Patre?
- Pap. iun. Auguste, nihil pro me deprecor; suppliciis ultimis devotus sim! sed Patri parce! solus sum reus; ignarus omnium, quae feci, Pater.
- Pap. sen. Imo, quod tantum probrum genuerim, sum reus satis.
- Omn. Nos rei sumus, innocens Papinianus.
- Car. Abstrahite! tormentis quaeratur veritas.
- Omn. Nos rei sumus! Papinianus est innocens.
- Car. Materniane, tu Papinianum custodi. tempus, quo deliberes, habes. in quo articulo rerum tuarum deprehensus sis, vides. si Getam damnas, absolvis te; sin, iam ne hoc quidem habebis solatum, quod innocens moriaris.
- Pap. sen. Se ipsum solatur animus bene conscientius sibi.

Scena octava

Caracalla, Laetus

- Laet. Non belle instruxi fabulam, Caesar, ut intelligeres, quo in te animo sint amici Getae? vix classicum cecini: iam illi strictis ensibus in te emicuerunt. credere tu narranti potuisses? sed quod auribus hauisti, vidisti oculis.
- Car. Graviora metuo.
- Laet. Vrgenda sunt coepta, donec nemo supersit, qui metui possit. miles omnis est tuus; irruere nos in eos iube, qui deflent Getam. clade aliqua exterrendus est populus, ut credat, immane facinus tentasse Getam, quod vindicta tam horrida expiet. atque quo celerius exequi sententiam tibi utilem iubes, hoc efficacius remedium est. quos du-

ci ad tormenta iussisti, plectantur cito; alius quisquis gemit de Geta, quisquis murmurat, luat capite. ita facies fidem, merito occisum esse.

- Car. Si porro probare factum Papinianus recuset, quis iustum credet?
Laet. Necari et ipse potest; imo iam debet, si velis vivere. animo obstinatus est, reum filium videt, Imperatorem se audivit prope iam proclamatum et nihil animo agitet adversum te? timendus est ille vir, nunc maxime, cum in filio debet offendii.
Car. Cogitabo. in tua fide, Laete, reposita est mea salus. turbis provide et, si est opus, mone temporis! me vocat Iulia.
Laet. Securus fruere.

Saltus.

Actus quartus

Scena prima

Papinianus senior, Maternianus, Milites

Theatrum exhibet castra.

- Mat. Hic te audiet Caesar. prodibit continuo. secede, miles. sed tu pone tandem, si amicum audis, illam tuam Philosophicam severitatem et memento te Domino loqui.
- Pap. _{sen.} Num in reverentiam tibi peccare videor, si libere loquar?
- Mat. In prudentiam certe. nam si resistis porro postulatis, quid sperare per hanc audaciam possis?
- Pap. _{sen.} Si non efficio, ut minus audacter peccet, saltem ego non pecco. aut num defendere scelus aliud videtur tibi quam committere? si Caracallam incitassem ad inferendam Fratri necem, scelestus viderer etiam tibi; nunc si probo factum, si laudo, quid facio minus? quo nos abiicimus? fidem iuravi Caesari: num ideo conscientiam tradidi? ... Caesarem hoc effert, quod imperet. sed consideret, quibus imperet. stolidis, barbaris, impiis si imperat, imperet, quae vult. si viris honestis, imperet honesta; obediemus. Materniane, omen est bonum, quod me Caesar ad alloquium vocet; et venio praeparatus. forte vexatio, quae turbat aulam, dat intellectum, ut capiat, quam bene ipsi Papinianus velit.
- Mat. En, ipse.

Scena secunda

Papinianus senior, Caracalla, Maternianus

- Pap. _{sen.} Quid sibi vult, Auguste, hic occursus gratiosus, hic aspectus solito blandior? num sperare possum, mutata mente, agnovisse te demum, fieri non posse, ut Papinianus excuset, quod accusat natura, quod damnant Dii? an timere debeo, ne insidieris constantiae, filio usurpus pro ariete, quo Patris pectus evertas? obsecro, ne diu suspensum me teneas: scire oportet, utrum Domino loquar an tyranno?
- Car. Audacter et temerarie agis ex more tuo, in ferocia complacens tibi, quam elegante vocabulo libertatem appellas aut etiam fortitudinem. sed dandum aliquid morituro est: fruere licentia, quam concedo

brevem et ultimam, nisi pertinaciam ponas et obedias imperanti. audi tranquille, quae dicam; intelliges, opinor, merito imperare. utinam sapientius ordinasset imperium moriens Pater et, quod suaseras tu, Orientem uni, Occidentem alteri filiorum tradidisset regendum! nunc cum orbi toti utrumque cum aequali potestate praeposuit, quid fecit aliud, quam ut iam ante discordes in mutuam perniciem concitaret? Geta maiorem nolebat ferre, ego aequalem non poteram. accessit ab indole stimulus, accessit a suspicionibus, a dissidiis, a susurronibus. neque hodie primum periisset Geta, si se obtulisset alias occasio opportuna magis. quanquam et hodie exhorri scelus; neque me obstrinxisse, opinor, nisi refugientem animasset Laetus, ut utar occasione non facile redditura, hortatus.

Pap. sen. Pro! quid audio? Laetus hortatus est, Auguste, quo ego vix alium Getae amiciorem putavi?

Car. Ita Laetus, qui et filium tuum cum sociis induxit mendacio, ut, quod vidisti, adversum me coniurarent.

Pap. sen. Vah! perfidiam!

Car. Sed ille mihi, cum minime putabit, poenas suorum scelerum satis acerbas dabit. iam te, Papiniane, quid agere necessitas postulet, considera. occisus est Geta: quid faciam? poenitet! sed ille non ideo reviviscit. amavit Getam populus: cum innotuerit, caesum per iniuriam esse, tumultus fiet, et incalescit seditio vix nisi multorum sanguine restinguenda. moriendum omnibus erit, quotquot vivunt amici Getae; nec enim meae me vitae aliter securum puto. his tu occurrere malis tantis potes facile, si prodiens ad concionem Getam merito occisum doceas, quod id et mea et Reipublicae exigeret salus. sciunt omnes, quam Getam amaveris, sciunt, quam ames iustitiam; itaque quin sint vera, quae dices, dubitabit nemo. omnes damnabunt Getam, omnes se mihi inclinabunt; Caracalla tranquillum imperium, Respublica pacem, plurimi vitam debebunt tibi.

Pap. sen. Ah, Caesar! si ego filium meum defenderem, si merito et recte contra te coniurasse assererem, quibus me oculis aspiceres? quo animo audires? tamen hoc affirmo: minus in te filius meus peccavit, quam contra Getam peccasti tu; et te vis defendi? cessa, obsecro! quod vis, impera: promptum ad omnia Papinianum habes. sed scelus imperanti obedire non possum. sedandorum tumultuum aliud remedium est. intelligat populus, quod te facti poeniteat. intelliget vero, si facti auctorem Laetum digno supplicio eneces. sic placabis furentes, sic demonstrabis, te Principem esse, qui ut errare, sic erroris concipere poenitentiam possit; sic ostendes, quam Proceres male consulant sibi, dum tibi consulunt malum.

Car. Bene est: non consulis male. et vide, quantum tuae virtuti deferam. Iudicem te Laeti constituo et Iudicem tui filii. uterque reus est: si tantus est amor aequitatis, quantum prae te fers, amborum causam examinabis ad leges; et ego, quam de utroque feres sententiam, ea stabo.

- Pap. _{sen.} Iudex sim, Domine, cum ipse tibi videar de ambitu reus?
- Car. Innocentem te scio: absolvo.
- Pap. _{sen.} Reus unus inimicus est, alter filius: et Iudex sim!
- Car. Iudicabis. quid disputas? num iterum scelus impero?
- Pap. _{sen.} Haud scelus quidem, sed rem difficilem Patri.
- Car. Amorem filii amor iustitiae vincet, si es fidelis. causam indaga sedulo! priusquam sol occidat, dicenda sententia est et executioni mandanda. filium primum cum sociis ad examen citabis, Laetum postea Maternianus adducet.
- Pap. _{sen.} Obedio.

Scena tertia

Caracalla, Maternianus

- Mat. Quam gaudeo, Caesar, te placidum Papiniano videre. viri tanti mors quam multorum odia concitaret tibi! quae pericula acciret!
- Car. Video. hinc titulum quaero, ex quo iuste possit damnari.
- Mat. Pro! quid audio?
- Car. Iudicem constitui, ut fiat reus. absolvit filium: favet hosti Caesaris; damnat Laetum: damnat amicum Caesaris. Iudices, a quibus de iudicio aut per odium aut per amorem perverso iudicetur, inveniam facile. liberare me volo ab homine audace et obstinato.
- Mat. Decretum est igitur ...
- Car. Decretum. hodie morietur.
- Mat. Ecquid te movet ad facinus adeo horridum?
- Car. Libertas, securitas, maiestas.
- Mat. Non, non facies: fieri non potest, ut vel mente designes tam atrox facinus.
- Car. Quid ni?
- Mat. Superi! num perpendisti adeo, quem virum destines neci? quid de te sentiet orbis?
- Car. Quid? num semper ero Ministri servus? et Imperator cum sim, nihil licebit agere, nisi quod ipse probet?
- Mat. Ille vero nihil probat, nisi quod prodest. memento Severi Patris, quam te anxie commendaverit Papiniano; neque creditit, fieri posse, ut felix imperes, nisi ex consilio huius viri imperes, quem ad haec tempora servarunt Dii, ut sua prudentia collabens sustentet imperium. cogita, quantum ipsi debeas. vel maxime placere tunc debet, cum loquitur, quod displicet tibi. hinc enim, quod te amet, manifestat, incurius sui. libertas, securitas, maiestas tua ab ipso fulcientur. nunquam maior eris populis, quam cum ad latus proxi-

me assidere vident Ministrum in administranda iustitia et peritum et sedulum; nunquam securius imperas, quam cum nemo habet, quod queratur contra vicarios praesides; nunquam praecipies liberi, quam cum populi credent, paecepisse te ex Papiniani consilio. quam felices fuissent alii Caesares, si Ministrum eiusmodi aut habuissent aut audissent! Neronem totus orbis et amavit et timuit, quamdiu coluit Senecam. cum Senecam sustulit - quod mihi facinus atrocius videtur, quam quo sustulit Agrippinam -, cum Senecam sustulit, timere debuit omnes, a nemine amabatur. te ipsum, Auguste, quanta subibit poenitentia, cum, quantus fuerit Papinianus, ex iactura advertes. si Principes Dii essent, immortales facere tales Ministros deberent, quales utique non omne saeculum tulit. ah! quam ille tibi affectus est pessime, quam nihil tuae gloriae, nihil salutis studiosus, qui te in Papinianum irritavit! et nempe Laetus, Laetus incitavit te ad necem Fratri inferendam; quis alias in Papinianum accenderit? et quis est ille Laetus? quando unquam aliquid salubre suasit? affectui se tuo accommodat, ut placeat, in omnes formas mutabilis Proteus. huic ego regendum me traderem, si Rector essem?

- Car. Versas me et turbas animum. delibero, quid agam. adhuc tamen funus nobile ista videbit dies nec sine pompa: aut Papinianus cadet, aut Laetus; alterutrum fata postulant et meae res. paretur ferale pegma, lictores, enses, venena in promptu sint. impero.
- Mat. Obsequor. Dii faciant, ut dira sententia meritum caput feriat!

Scena quarta

Caracalla, Laetus

- Laet. Domine, rumor de nece Getae in urbem sparsus turbas concitat: audivi murmura, dicteria, minas; conventus fiunt. nisi nos opponimus initiiis, erit seditio; Maiestatis periculum subis.
- Car. Credo. quis modus pacandi est male contentos?
- Laet. Vis et ars. si Papinianus de iure facti pro concione populum doceat, acquiescet.
- Car. Non impetro.
- Laet. Ergo irruendum in obvios et, quisquis vel nomen Getae cum affectu usurpat, necandus est. hic terror suffocat impetum recentis audaciae.
- Car. Consilium atrox!

- Laet. Sed necessarium. huc te Papiniani obstinatio adigit. ego si Caesar essem, nae, ille mihi pertinaciam capite lueret! qui tibi contradicere, Caesar, non timet, quid timet denique?
- Car. Nihil habet, quod timeat, qui recte agit.
- Laet. Nondum prohibuit nuptias etiam, quas cum Matre agitas? nam ad tribunal suum iam citavit amores tuos ille Rhadamanthus; nondum damnavit?
- Car. Quid? ausus est carpere?
- Laet. Palam. Phaedrae comparat Iuliam; de te ait, optare se, ut Hyppolytus sis.
- Car. Quid optat? clarius loquere.
- Laet. Vt Hyppolytus sis, qui novercae suae blanditias crudo contemptu derisit, meritus propterea, ut devoraretur a Phocis. et addidit ...
- Car. Quid?
- Laet. Se ex hac maxime causa suasisse et ursisse divisionem imperii, ut te a Matre divideret. vides, quantum sibi arroget iuris in te.
- Car. At ego dubito, Laete, uter mihi peius affectus sit, Papinianus an tu.
- Laet. De me suspicaris hoc malum, Auguste? quando improbavi aliquid, quod tibi placebat? cupiebas Fratrem in potestatem venire: adduxi. ut Iulia mentem suam de te ducendo clarius aperiret, efficere: effeci! quo in te animo post Getae caedem eius amici essent, explorare: exploravi. exercitum tibi adiungere: adiunxi. quid amplius imperras? si, vel ut Iovem deturbem de solio, praecipis, expugnabo nubila aut, si glorioso conatui non respondet eventus, impavido pectori excipiam fulmen, quod me in exercitio nobilis obedientiae sternet.
- Car. Invisum subditis fecisti me! nisi tu institisses, fratricida non essem. nunc vis, ut Papinianum adiungam: quis me amabit? quis non maledicet?
- Laet. Obsecro, Princeps, cave, ne hic animi tui sensus emanet in vulgus. gladios stringerent Romani, si scirent te linguas timere. nudos enses ostenta, tacebunt; imo si instas, laudabunt praeterea. Romulus, Domitianus, Nero, cum statuerunt Fratres occidere, num, quid dicturi sint subditi, cogitarunt? Iupiter cum Patrem Coelo expulit, cum sororem uxorem duxit, cum in cygnum, in aquilam, in bovem se transformavit, nunquid anxie deliberavit, quid de se locuturi sint Fauni ac Satyri? liberrime vivendum est Principi, si vivere felix cupit. Iuliae, si vis, libellum repudii feram; nam si de sermonibus angeris, actum de nuptiis est. illa quo animo exceptura sit nuntium, facile capis. aut ridebit aut indignabitur, timeri a viro, quod non metuit foemina. quanquam si attendendum est, quid dicant homines, attende, Princeps, quid dicat, quid dictura sit Iulia: illa tibi prae toto genere humano sit. oderint te omnes homines: non tam infelix es, quam si illa te casset amare.
- Car. Explorasti de Papiniano etiam Iuliae sensum?

- Laet. Pertinaciam in defendendo Geta, ipse nosti, ut damnet Iulia. veretur
nempe, ne ...
- Car. Ibo, interrogabo Matrem. si mori vult hominem, periit. tu occurre
tumultibus.
- Laet. Omnis miles in armis excubat. quisquis commoverit se, pro hoste
erit; et tu intelliges, Caesar, quanto ferventius tuae felicitatis, salu-
tis, gloriae studiosus sit Laetus quam Papinianus.
- Car. Recte.

Chorus II.

<Bellona>, Mercurius, Pales, Iupiter, Ceres, Pomona,
Pallas, Hortulani, Pastores, Rustici

Iovem, cum omnia sus deque verti videt, de pulsa Themide poenitentia subit. prodeunt Iupiter et Mercurius personati.

Theatrum exhibet castra. interius Bellona in turrito elephante equis circumdata. alii parant naves, alii effodiunt aurum, alii arma laevigant ad cotem. adsunt cumuli galearum, ensium, telorum etc. fit praedatio, caedes, fuga, clades etc. abscissa capita in hastis, abiecta arma visuntur. etc.

Ariose.

Bell. Arma, viri! procul curae!
Iam valebit vis pro iure:
Tantum quisque possidet,
Quantum sibi rapiet.

Chorus Praedantium

Rapite, capite!
Nemini parcite!
Sine discriminē
Sternite, caedite!
Mare et terra sus deque vertantur!
Modo res vestrae in Coelum tollantur.

Intus fit clamor.

Merc., Pales Superat famam malitia.

Prodeunt hortulani.

Iup. O Coelum! o Sydera!
Iterum nova lamenta.
Ceres O Iupiter, adiuva!
Merc. Secedamus,
Vt, quid querantur, certius audiamus!

Ariose; Pastores, Rustici.

Pom. O mea pomaria!
Pales O oves!
O boves!
Ceres O agri! o iugera!
Omn. O meae res!
O meae spes!

Ah! Coelum! ah! Sydera!
Ah! Iupiter, adiuva!

- Ceres Quid frustra clamamus?
Videtis? ut nihil se moveat durus tyrannus!
- Pales Pulsa Themide
Quis nostram apud eum causam velit suscipere?
- Pom. O Themis! dum te non amplius audit Iupiter,
Quam nihil agit regaliter!
Lex nulla servatur,
Pro libidine vivitur, scelus adoratur.
- Ceres Cur ergo tributum Iovi solvimus?
Pom. Cur Regem alium non eligimus?

Arietta

- Pom. Cur ego hortorum delicias?
Pales Cur ego do pecorum decimas?
Ceres Pro Iove cur cogor arare,
Si nihil laborat pro me.
- Omn. Vt iure tributum, quod imperas,
A subditis, Iupiter, exigas:
Pro subditis debes regnare,
Non debes regnare pro te.
- Iup. Quousque tandem?
Omn. Heu! fuimus! periimus!
Iup. Quid agendum, Mercuri?
Pall. O Pater! quanti sum sceleris nuncia!
Dii Fratres in Coelum evaserunt,
Deos caeteros in fugam egerunt:
Turbata sunt omnia!
- Iup. Dies nefasta! ubi, ubi sunt fulmina?
Pall. Pater! siste impetum!
Et Maiestatem ludibrio subtrahe!
Ad horam iuvat cedere, ut possis securius vincere!
- Merc. Cum Pallade sentio
Et, ut ad tempus te ocellas, suadeo.
Interim ego Saturnum Coelis,
Pallas Themidem restituet aris;
Restitutam rebelles Dii audient
Et Coeli imperium tibi restituent.
Vnde cum rursum tonabis,
Homines facile a sceleribus revocabis.
- Iup. Ite, quod videbitur, agite.
Ego ibo, quo me rapient pudor, dolor, timor, furor.

Aria

- I. Erravi! vah! erravi,
Cum Themidi peccavi! ...
Perite blaterones,
Qui blandos per sermones
Palpati aures Principum! ...
Est falsum, est mendacium,
Quod Reges
Sint exleges!
- II. Exemplum do Rex Regum,
Quid pro sit cura legum:
De Iove exul factus sum! ...
Quid restat quam suspirium?
Erravi! ...
Erravi!

Actus quintus

Scena prima

Maternianus, Papinianus senior, Lictores

Apparatus funebris contra omne genus delicti.

- Mat. Ades, Papiniane! ... quid te hic aspectus feralis iuvat?
- Pap. _{sen.} Salve, sancta Iustitia! ... Materniane, cui hanc scenam instruis?
- Mat. Tu Iudex es. qui a te damnatus fuerit, ense, securi, fune, veneno, morte, qua decreveris, hac hora cadet. praecepit Caesar.
- Pap. _{sen.} Ecur ad iudicium non rapitur Laetus?
- Mat. Dilatum est. tumultus timetur populi: invigilare est iussus. nihil metuit, non evadet.
- Pap. _{sen.} Bene est. ergo praecedat filius. lictor, secures expedi! tu Caesarem ad spectaculum evoca, ex quo discat, quam chara Papiniano iustitia sit.
- Mat. Damnasti filium?
- Pap. _{sen.} Meruit. Serenus, Macrinus, Helvius ducantur simul: aequale crimén poena aequali luent. iamque ingredi vides.
- Mat. Funesta dies! hic vultus, hic habitus, hic incessus viros praeclaros decet! Caesarem evoco.

Scena secunda

Papinianus uterque, Tribunus, Helvius, <Caracalla>,
Serenus, Macrinus, Lictores, Milites

- Pap. _{sen.} Opprime naturam, virtus! gemere Patrem decet, non decet Iudicem.
- Trib. Adduxi reos. ultra quid velis, impera.
- Pap. _{iun.} Pater!
- Pap. _{sen.} Vocabulum sile, quo mihi pectus scinditur. quanquam si moriendum innocentia foret, non dolorum; nunc, non quod moreris, lugeo, sed quod nocens moreris, infelix! et quod filium genui degenerem adeo. pro dedecus meum!
- Pap. _{iun.} Feci vindicandi Getae causa, amore tui concitatus, fraude Laeti deceptus.
- Pap. _{sen.} Sile, probrum! non est scelus scelere vindicandum, nec Geta ipse sic vindicari se velit. tune amabas me? sic nosti Patrem? is tibi vi-

deri potui, qui descendere vellem solium mei Principis conspersum sanguine, mei filii pollutum scelere! novum crimen! quid fraudem iactas? excusatio te ipsa accusat. hem, ut miseri parentes sumus! quantis mihi curis tua educatio constitit! quam sollicite avocabam a vitiis! quam sedulo ad cultum virtutis urgebam! et videbar mihi non arasse in littore; spes laetissimas repentina grando decussit. Laetum audire contra Patrem oportuit? ... vestrum me miseret, amici, quos hoc scelus in societatem traxit improvidos sui! si quater mori filius posset, poenas mihi pro vobis daret, quater reus, et quod ipse Laeto accesserit, et quod male suaserit vobis.

- Helv. At tu, quid nos torques? damnasti. an non est satis? adhuc subire oculos tyranni cuges? quid hoc meruimus? expeditus est lictor: duci iube!

Prodit Caracalla.

- Pap. sen. En, subit ipse! curvate genua! deprecari scelus oportet et mori.

- Helv. Me deprecari! quam lubens morerer, si peregrissem facinus gloriosum et sanctum!

- Pap. sen. Quid loqueris, ferox?

- Seren. Tene adulari tyranno decet? sic Papinianus es? optime de Roma meritos viros, amicos, filium damnas, ut placeas Caracallae! hic iuris cultus est? haec virtus tua?

- Pap. sen. Superi! hic furor viros bonos corripere potuit, ut negent se mortem meritos?

- Macr. Pasce oculos crudelis! in hac miseria! hoc decet indolem! ut calet, ut ardet anhela crudelitas! quid cessas, lictor? sanguinem sitit: propina potum!

- Seren. Propina. vivat fratricida in ruinam imperii!

- Macr. Vivat, ut pereat Roma et poenas ignavae patientiae luat!

- Helv. Vive, triumpha, Caesar! maior Africano, maior Macedonico es! Getam occidisti: Geticus appelleris!

- Pap. sen. Quousque patiens audies, Auguste, maledicos canes? nam ego amicos abdico. amicus, affinis, filius sit; hostis est meus, qui Caesaris est. iussisti iudicium facere: lata est sententia, moriantur! exequi iube!

- Pap. iun. At ego tibi supplex, Auguste, accido. probo sententiam, meruisse mortem fateor; sed per quidquid est charum, deprecor. aetati parce, Domine, parce generi, Patri parce!

- Pap. sen. Quae me rursum ferit vox! ignave! degener! tu, quam meruisti, mortem metuis? deprecari audeas! hoc absit, Caesar, ut ego istud dedecus ultra intuear. fiat iustitia! moriatur.

Scena tertia

Papinianus senior, Caracalla, Maternianus, Ephebus

- Car. Abripite ex oculis monstra! reducantur in carcerem. moriemini morte, qua sentiatis vos mori! deliberabo. ... tuam ego fidem suspicio et amorem iustitiae. faciam, ut de tuis laudibus nulla unquam posteritas conticescat. unum exigo, ut sicut aequus es Iudex, ita sis Minister fidelis, pro tui Domini honore et salute sollicitus. Getae mortem populo proba! num obedies tandem? quousque te oppones? cum tu probaveris, probabunt omnes. amasti Getam, hic amor obstat. amorem vincat amor, quem iam soli mihi totum debes. exemplum foeminae imitari ne pudeat! luxit filium Iulia; lugere desiit, cum imperavi. quid siles? mortem vel te Iudice meritus est filius tuus, meriti amici tui; libertatem, vitam, honores pristinos et maiores debebunt tibi, si obedieris. si non obedis, vide, quo me adigas. venenum et pugio in promptu sunt: alterutrum eliges.
- Pap. _{sen.} Quam prompte obediverim, Caesar, quoties, quod honestum est, imperasti, exempla habes. Patrem exui, ut subditus esse possem; quid amplius exigas? neque desidero, ut absolvas filium, quem ego damnavi. moriatur infelix! illius ego mortem ne gemitu quidem dignabor. si mori me cum ipso iubes, felix sum! neque enim miseram mortem aliud, quam misera causa facit. amavi Getam; quod tamen non probem necem Getae, amor Getae non facit: amor iustitiae facit. exemplum Iuliae movere Papinianum non potest. cur cessarit lugere, facile divinavi. heu! quae non dedecora cogar probare, si necem Getae probem! non probo, non possum probare. fidelis Minister sum, adulator non sum. sed nec Iudex adversum me ipsum sum: mortem neutram eligo, tu decerne.
- Car. Obstinate!
- Mat. Ah! Papiniane! tantine paucula verba sunt, quae ad concionem diccas, ut malis ...
- Pap. _{sen.} Scelus sunt. Caesar! quod imperas mortis genus?
- Car. Insultat! in carcerem ibis et ipse ad carnifices feres sententiam. Macrinus, Helvius et Serenus te spectante iugulentur statim! tum item in oculis tuis tuus filius caput securi subiiciat, quem tu sine mora morte pari sequeris.
- Pap. _{sen.} Obedio per omnia. oro Deos, ut mea mors pluribus exemplum quam miraculum sit. vale Caesar! Materniane vale!

Scena quarta

Caracalla, Maternianus, Laetus, Ephebus

- Mat. Ah, Caesar! qualem virum condemnas?
- Car. Contumacem. ipse se damnat. vidisti, ut me provocarit audacter? ut nihil exhorruerit ad sententiam? ut velut ad convivium abierit?
- Mat. Obstupui robur animi.
- Car. Semper aestimavi hominem, amavi semper; quid omisi, ut possem absolvere? absolvisssem, quam noxium exemplum fore! quis non auderet similia et se imperanti opponeret?
- Mat. Vt pavesceret, ut horrebit te populus, cum de novo facinore audiet!
- Car. Hem, Laetus. ex ipso intelligam, quid in urbe agatur. tu vide, quid fiat in carcere. gaudium feres, si mihi lucraberis virum.

Scena quinta

Caracalla, Laetus, Ephebus

- Laet. Vive, Caesar! iam regnas securus! caesi sunt, quotquot amarunt Getam. viginti fere millia computavi. irruere tota urbe militem in turbas iussi et, quotquot de Getae morte plorantes invenirent, sine discrimine caedere. tremunt cives, nemo movere se audet: agere, quod libet, licet. fruere imperio, fruere Iulia: nemo tyrannidem carpet, nemo, quas cupis, nuptias.
- Car. Vt nemo supersit etiam, qui me impellat ad tam funesta consilia, hoc poculum propino tibi. libemus Diis! adeste, Furiae, et hanc imperii mei pestem auferte vobis! bibe.
- Laet. Caesar!
- Car. Per Stygem bibes!
- Laet. Ah! audi supplicem! et moram saltem defensioni concede! nam cur occidor!
- Car. Interrogas? occisus Geta, decepti Proceres, turbata aula, Papinianus infelix, viginti millia occisi, ego tyrannus, infamis, toti orbi exosus, omni posteritati execrabilis tua scelera sumus; et adhuc de defensione cogitas? quanquam, ut simus iusti, age, defensioni te para. quem Iudicem optas?
- Laet. Impera, Domine!
- Car. Papiniano te trado. curre, puer!
- Laet. Ah, Caesar!
- Car. Nempe hunc times, miser? ... heu! Materniane, quid affers?

Scena sexta

Accedit Maternianus

- Mat. Papinianus vixit!
- Car. Tuum est scelus. bibe! bibe!
- Laet. Obsecro!
- Car. Aut bibes aut ilia perfossus cades.
- Laet. Sentio ultores Deos! bibam, tyranne, bibam! ... placere volui, hoc scelus meum!
- Car. Hauris ocyus! ... habet. in carcerem extrude monstrum, donec epota vipera iecur exedat.
- Mat. Nunc iuste saevis, Caesar! sic mori adulatorem decet. venenum ex auro bibat, qui venenum in auro Principi propinavit. crepa!

<Finis>

Hinweise zur Textgestaltung

Zugrunde liegt die Ausgabe von 1760 mit dem Titel-Zusatz „ACTA LUDIS AUTUMNALIBUS ANNO MDCCXXXIII“. Das Mannheimer Exemplar ist über das MATEO-Projekt der dortigen Universität im Internet einsehbar (www.uni-mannheim.de/mateo/camena/neum1/te03.html); die htm-Fassung wurde für diese Ausgabe benutzt.

Die orthographischen Eigenheiten des Originals wurden nach Möglichkeit beachtet. Orthographie und Interpunktions wurden jedoch überarbeitet und vereinheitlicht. So wurde stets gedruckt *i* für *j*, *v* für konsonantisches *u*, *u/V* für vokalisches *u/U* sowie *Coel-* statt *Cael-*. An Einzelstellen zusätzlich groß geschrieben wurde: *Coelum*, (*Dii*) *Fluminum*, *Furia*, *Gigantes*, *Iudex*, *Latro*, *Maiestas*, *Ministrum*, *Palatii*, *Proceres*, *Quaestor*, *Stygem*, (*Dii*) *Vallium* sowie *Mater*, *Pater* und analog dazu, obwohl mehrheitlich klein gedruckt, *Frater*; groß belassen in Anrede *Iustitia*. Klein geschrieben wurde dagegen: *amici*, *auctor*, *aula*, *caput/capite*, *castra*, *consule*, *elephante*, *filius*, *generi*, *metaphoris*, *millia*, *regnum*, *scena*.

Im Argumentum wurde der Zusatz *Spartianus* statt Kursivdruck in Klammern gegeben. Im Darstellerverzeichnis wurden die Götter des Prologs und der beiden Chöre sowie der *Lictor* ergänzt. Gestrichen wurde jeweils *Personae* zur Einleitung der Darstellernennung vor den Szenen sowie die erläuternden, aus dem Darstellerverzeichnis wiederholten Zusätze 1,2 *a cubiculis Caracallae*, 1,3 *Praefectus custod. corp.*, *Cubicularius Getae*, *Praetor*, *Dux militum*. Im 1. Akt wurden wie stets danach als Sprecherkürzungen *Pap. sen./iun.* statt *Pater/Filius* und 1,3 *Papinianus uterque* statt *uterque Papinianus* verwendet; 2,4, 2,5, 3,2, 4,2, 5,3 *Pap. zu Pap. sen.* erweitert sowie an Einzelstellen 1,2 (*Multa, fateor*). Die Nennung der Darsteller wurde geordnet, so Prol. statt *ISB*, 1,3 *GLPSHM*, 2,1 *CLM*, 2,5 *GCP*, Ch. 1 *ITVCMCh*, Ch. 2 *IMPallasCPoPalHPasR* (mit Ergänzung *Bellona*), 5,1 *PML*, 5,2 *PSMaHMiTL*. Zusätzlich als Anmerkungen gegebene Regieanweisungen wurden im Text gedruckt, *saltus* am Ende des 1. bzw. 3. statt am Anfang des 2. bzw. 4. Aktes.

1,2	<i>tu adde</i> statt <i>tu addde</i>	CAMENA
Ch. 1	<i>tonitrum!</i> statt <i>tonitru !</i>	CAMENA
3,1	<i>ceciderunt cum</i> statt <i>ceciderunr cum</i>	CAMENA
3,5	<i>inferiis</i> statt <i>inferias</i>	CAMENA
3,6	<i>suffragium</i> statt <i>fuffragium</i>	CAMENA
4,2	<i>prae te fers</i> statt <i>praetefers</i>	CAMENA
5,2	<i>per quidquid</i> statt <i>per quiquid</i>	CAMENA

2,1, 2,4, 2,6, 3,5 wurden ‘Anführungszeichen’ gesetzt, im Prolog und 2,5 ‘...’ hinzugefügt. Unnötige ‘Kommata’ vor *et*, *atque* usw. wurden gestrichen, unpassende ‘Doppelpunkte’ ersetzt, ‘Gedankenstriche’ statt ‘Klammern’ und ‘...’ statt ‘.’ verwendet. Auf eine detaillierte Dokumentation aller Eingriffe in die Interpunktions sei hier jedoch verzichtet.